

~~GA 2~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-44.

SIGNAT. clisioCCCCXIII.

Constat



DE METHODO
SINGULOS ARTI-
CULOS FIDEI PER-
TRACTANDI,

DISCURSUS THEOLOGICUS,

Quem

*Cum subjunctâ VALEDICTIONE publicè recitabat in
Auditorio majore FRIDERICIANO alma Aca-
demie WITTEBERGENSIS,*

Cum in PATRIAM revocatus
Abituriret

M. ANDREAS KESLERUS
Coburgô-Francus, Facultatis Philoso-
phicæ Adjunctus,

*Die 2. Novembr. Anno Epochæ
Christianæ*

AlMa parens stVDII porro VViteberga VaLcto.

* *
*

WITTEBERGÆ,

Exscriptus typis & sumtibus CHRISTIANI THAM,
Academ. Typogr.

CS

R E C T O R
 ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS
DANIEL SENNERTUS,
 VRATISLAVIENSIS, PHI-
 LOS. ET MED. DOCT. AC PRO-
 FESSOR PUBLICUS
 CIVIBUS ACADEMICIS S. P.



In illo tempore sapientis Eloquentiæ
 & eloquentis Sapientiæ non magna cura aut
 ratio habita fuit, certè hoc seculo nulla pro-
 pè relicta est. Caussam ejus rei altiùs repe-
 re, & pluribus persequi hujus loci non est.
 Illud quidem constat, multos existimare, ni-
 hil esse cur in verbis magna ponatur opera,
 rerum unam cognitionem perquirendam;
 satis esse, si ita loquamur, ut intelligamur;
 quid sentiamus, tantummodò curandum: Jurisprudentiam, Medi-
 cinam, aliasq; graviores scientias, quæ rerum caussas docent, stu-
 diosè persequendas: Humanitatis verò & Eloquentiæ studium,
 verborum plenum, rerum vacuum, prudentiæ inane, tamquam su-
 pervacaneum ac leve, rejiciendum esse. Verùm hac de re longè dex-
 teriùs judicant Viri Eruditi ac Sapientes, quorum in classe optimo
 jure collocamus, Virum insigni doctrinâ ac Virtute præstantissi-
 mum, Dn. M. ANDREAM KESLERUM, SS. Theol. Candi-
 datum meritissimum, Facultatis Philosophicæ Adjunctum, qui ha-
 ctenus unico conatu id egit, ut cum sobriâ Philosophiâ Eloquenti-
 am quoq; conjungeret, eandemq; Discipulis & Auditoribus suis,
 sedulò ac diligenter commendaret. Hic est ille KESLERUS,
 quem tot Disputationes Philosophicæ magnam partem in lucem
 prolata, aliaq; ingenii documenta & monumenta notum ac cele-
 brem reddiderunt. Hic certè non tantùm evasit eximiu Philosophus,
 sed & in Scholis Theologorum sic versatus est, ut eximium il-
 lum.

sum progressum, quem in sublimi illo sacrarum litterarum studio fecit, aliquot disputationum exercitiis ad JUDICII & VERI NORMAM formaverit pariter ac firmaverit, atq; ita ingenii sui acumen, atq; diligentiam publicitatis & praesidendo in Philosophicis & respondendo in Theologicis maximam cum laude multoties nobis probavit. Quam sane eruditionis praestantiam atq; spectatam morum probitate omnium bonorum benevolentiam & amorem sibi conciliavit. Unde quoq; factum, ut ab Illustriss. atq; Clementiss. Maecenate suo luculenti muneris publici obeundi gratiam in Patriam vocatus fuerit. Quamvis autem nihil tam in optatis haberemus, quam ut ipsi diutius nobiscum haerere liceret: tamen cum aliter Deo, cujus in manu sortes nostrae sunt, visum fuerit, hanc loci & vitae mutationem ei vehementer gratulamur. Caterum ut adfectionem & observantiam suam, quam Academiam nostram prosequitur, publice testatam faceret, hinc discedere noluit, priusquam ritum ac solemniter eidem valediceret. Itaq; ut vel hac in re officio suo nihil quidquam deesse pateretur, orationem rerum gravissimarum ubertate, verborumq; elegantissimorum venustate ornatam atq; perpolitam contexuit, quam hodie H. II. finita concione sacra, in Auditorio majore COLLEGII FRIDERICI habiturus est. Argumentum vero ad tractandum delegit utilitate fructuosum, & cognitione necessarium, quod est de METHODO SINGULOS FIDEI ARTICULOS PERTRACTANDI, cum adjunctam gratiarum actionem, & valedictionem publicam atq; solemnem. Ad orationis hujus auscultationem, tum quia argumentum insignis, tum quia eloquium diserta est, Cives Academicos amanter hortamur, ut frequentes atq; attenti conveniant, atq; optimo huic Viro, quem diximus, & propter delectum ad tractandum argumentum, & ingenii dotes praecclaras, exigui temporis usuram haut gravatim largiantur. P. P. Dominica XXI. post Trinitatem. Anno cl. M. c. XXIII.

ORA-



D. O. M. A.

ORATIO VALEDICTORIA,

De

METHODO ARTICULOS FI-
DEI TRACTANDI.



I quâ animi conscientia, RE-
CTOR Magnifice, VIRI reveren-
da ac consultâ dignitate, experi-
entiâ, excellenti claritate eminenti-
ssimi, Præceptores ac Fautores
debito animi cultu prosequendi,
Vosq; Nobilissimi ac Literatissimi
Studiosi, Annici faventissimi, Audi-
tores omnium ordinum lectissimi, Si quâ animi conscientia
cathedram hanc conscendi, eâ lingua facultate in eadem
rem agere posses, esset sanè, in quo & Vos delectaremini, &
ego mihi summopere gratularer. Neq; enim me vel audax
imprudens, vel fastuosa virium presumptio, sed debita
pietatis devotio in hunc augustissimum dicendi locum collo-
cavit, quæ, cum mihi ex hoc Musarum emporio jamjam sit
emigrandum, & ut intermisso valedictionis officio abirene,
noluit. Ergo Vos debito modo, quod debetur, acciperetis,
ego verò dignis digna prestarem. Nunc, cum meipsum exa-
mino, oculis humilitate demissis eorum aures politas, & ju-
dicii acrimoniam revereor, quorum ora vultusq; in me
unum conuersos intueor. Quorum tamen humanitatem,
dum animo revolvo, in eam feror sententiam, fore, ut illi

Oratio de Methodo

non tantum facundia à me apparatus non requirant, sed nec requiri posse statuant. Nam ubi nimia est devoti affectus vehementia, parum verborum esse solet, animo sublimius sese evehente, quam ut ad exquisitam orationis curam demittere se inferius possit. Sed si jejunior dicendo offendam, hoc mihi, spero dabit, Auditores, ut rerum dignitas, si non decus quoddam orationi, veniam tamen conciliet. Antequam enim mea agam, id agam, quod ad publicam rei literaria causam spectat, imò, quod huic loco augustissimo, confessui huic splendidissimo apprimè conveniens quivis prudens rerum estimator dubio procul dixerit. Ostendam, ne Vestram morer benevolentiam, quanquam pro temporis angustia concisus, quæ videatur omnium optima ratio, quoslibet ac singulos articulos fidei sive, ut loqui solemus, communes Theologiae locos membratim pertractandi. Quæ materia quanquam ad forum Theologicum primum pertineat, ejus tamen est amplitudinis atq; copie, ut ex eâ, literatorum nemo sit, quin aliquid in succum suum convertere possit. Deinde, quo animo ex hoc Athenæo illustrissimo abeam, in sinum vestrum candidè exponam. Vos, Auditores, quem hætenus tot tantisq; beneficiis cumulare non dubitastis, ei hoc benevole auscultationis officium colophonis veluti loco addite, neq; egre ferte, ut semiborula hujus usuram Vestris negotiis in gratitudinis meæ suffurer officium.

Si ulla in retractandâ ordinis accuratam habere curam convenit, Auditores omnium ordinum dignissimi, dixerim nullibi majorem incumbere necessitatem, quam in religionis Christianæ articulis explicandis, quod in illis rerum majestas, cum earundem varietate ambiguo quasi prælio concertare videantur. Sacra hic fidei Orthodoxæ negotia evolventa veniunt. Absit, ut tumultuaria confusa tra-

Etatio-

articulos fidei tractandi.

Orationis opera iisdem sufficiat. Copiosa variorum seges colligenda est. Sine ordine, qui anima est doctrina, manuum operi admodum nefas esto. Verum enim verò, cum de eo ambigere non liceat, id tamen non est extra dubitationis aleam constitutum, quibus membris, quo insuper eorum ordine singula doctrinae caelestis capita sint absolvenda. Exponam, ego, non quod necessitate quadam immotà observandum esse statuo, sed quod meo, si quod est, iudicio convenientissime teneri posse sentio. Ergo igitur, qui singulos Theologiae locos (nam de ipsius Theologiae dispositione hoc in loco non sumus solliciti) ita disponere cupit, ut quaelibet ad eos pertinentia convenienti loco recondantur, coquorum ille morem suum faciat, qui arcas aromaticas sibi comparant, quae distinctis quibusdam capsulis sint effabricatae, eum in usum, ut diversa aromata sine confusione ac mixtura condi promiqueant. Ita Theologiae alumnus diversas sibi in singulis fidei articulis seu capsulas seu areolas conficiet, ut distincta distinctim reponat. Ut igitur quod praecipui muneris, varia illa, quae in singulis capitibus religionis occurrunt, accuratè diligentia possit distinguere, studio sollerti hunc in modum ordinem instituet. Primam quidem religiose diligentiae curam, eorum Scripturae dictorum collectioni destinandam, arbitror, quae genuina sunt ac propria articuli, quo de tractationem suscipias, officina ac sedes. Habet hoc spiritualis illa mysteriorum fodina in rerum suarum latifundio, ut quivis credendi articulus tanquam thesaurus peculiari sede scrutantis oculis se offerens delitescat, id quod & res ipsa loquitur, & Consensus Doctorum ac suffragia abunde contestantur. Hae sedes omnium primò indaganda venit, ut de veritate divina capitibus explicandi, ne tantillum quidem basites. Confirmantur multa ex multis locis, sed non eque certo

i. Sedes
genuina
& propria
cujusque
articuli.



Oratio de Methodo

certo rationis robore, non aequè primò ac principaliter, quod
discriminis nisi adverteris, fiet, ut incautus sæpè adversa-
riorum præda efficiaris. Atq; utinam ab ipsis pueritiæ annis
ad fontes illos purè fluentes singulorum doctrine capitum,
fida Præceptorum manu singuli deduceremur. Labor foret
exigua difficultatis fructus ejus ponderis per totius vitæ de-
cursum longè maximi. Hoc igitur volo, ut in frontispicio
cujusq; loci primaria ejus fundamenta & nativæ sedes colli-
gantur, collectæq; oculis exponantur. Nimirum offendet,
quod ejusmodi in secuturâ articuli Oeconomiam recurrent.
Nil moror. Idem bis dici cum fructu, alio modo, sapientibus
non tautologici est vitii, sed lucri pulcherrimi. Præmunia-
tur animus in limine, ut in progressu sit certior. Ubi id fa-
ctum est, Lexicon loci ex promptuario biblico formetur, in
quo vocabulorum in eo occurrentium significationes evol-
vantur, emphases excutiantur, & affinitas, qua unum alte-
ri succenturiatur quasi, indagetur, tum verò phrasium su-
pellex constituatur. Quo id consequemur, ut S. S. linguam
reddamus nobis familiarem, indolem ejus & ingenium pe-
nitius inspiciamus, & ex ipsis fundamentis Codicem salutis
intelligamus. ô efficacissimum cognitionis accuratioris ad-
miniculum! quod vel solum potuit efficere, ut Beatus Chem-
nitius Theologus incomparabilis salutaretur communi Do-
ctorum voce, eiq; primæ post Divum Lutherum in arenâ
Theologicâ partes tribuerentur. Nec injuria. De virtute
sacrarum literarum nemo rectius docebit, quàm qui eam
elicere novit. Novit autem is, qui modos ac figuras locutio-
nis S. S. familiares sollicitis ingenii articulis computat. Ex
quo instituto nova quasi arcula methodi nostræ exoritur ne-
cessitas. Dives est scriptura Dei, & copiosa, ex quâ conti-
nuata apiculæ sedulitas nobilissimos diversorum generum
suceos

2. VOCUBL
& phrase
non excuf-
sio.

3. Cano-
num col-
lectio.

articulos fidei tractandi.

succos extrahit. Etenim, si voces distinctas, modosq; loquendi sollerter inter se conferas, felicissimam Canonum biblicorum de variis sacrarum rerum generibus, offerri segetem miraberis, qui, incertum fuerit, majore ne animum elegantia perfundant, an uberiori fructu felicitent, ut quorum usus in omnes reliqua tractationis partes ubertim se distribuatur. In hoc Theologi munere, quis est, qui debet a laudum preconia Clavi scripturae verè Clavi duabus à Flacio Theologo in sacro Codice exercitatissimo absolute partibus detrectet. Quod opus, exurgat tandem herois Theologici Spiritus, qui in publicam Ecclesie gratiam dignis modis expo-liat, augeat, perficiat, rectissimè ad nominis immortalitatem inventà semitâ.

Sed nec distinctionum in singulis articulis occurrenti-
um oblivisci fas erit. Quarum non dico solum utilitatem, 4. Distin-
ctio-
num.
sed inevitabilem necessitatem, qui vellet pro dignitate ex-
ponere, quam nimium de suis viribus sibi promitteret, nobis constitu-
tio.
daret manifestum. Sunt illa limites quidam veritatis, ac
sepimenta, sunt vincula quadam amicitiae inter ea, qua Va-
tiniaro inter se odio distrabi videbantur, sancienda; sunt
munimenta quadam, quibus cujusq; dictionis sensus circum-
cingitur, ne canum allatantium morsu tangatur. Distin-
ctiones dum dico, eas intelligo, quarum tum fundamentum
veritas est, tum anima, perspicuitas. Docendi enim causa
adhibentur, non obscuritatis inferenda gratia. Quid no-
bis cum illis, quae cum locutione horrida sint, sensu anigma-
tica, Oedipum etiam absterrere possent? Veras autem ac
perspicuas peculiari quasi arculâ recondi volo, distincta me-
moria in adjumentum. Usus enim earum absit ut tam arcto
includatur ergastulo, quippe quae radios in ipsam pugnam
Theologicam projicere debent. Habemus ergo, Auditores,

B

primam

Oratio de Methodo

II.
PRAGMA-
TOLOGIA.
 I. Quæsti-
 ones the-
 oreticæ.

primam quasi structuram aedificii nostri didactici, ex Topo-
 graphiâ, Lexicographiâ, & organicâ (liceat enim mihi
 Vestrâ pace vocibus hisce ad institutum meum uti) constan-
 tem, quam totam si ⁱⁿ ^{quodam} ^{modo} ^{etiam} seu preparatorie nomine
 appellitem, nihil à ratione alienum commisero. Ea enim, de
 quibus hætenus, preparant animum, & præmuniunt, ut ex-
 peditius in posterum ac feliciter rem agat. Provehimur ulte-
 rius. Postquam hæc quasi prolegomena ordine, quo dixi-
 mus, sunt digesta ad rem ipsam accedendum, & primum
 quidem ad questionum illarum explanationem, quæ de cre-
 dendis mysteriis fidei inter Orthodoxos & Heterodoxos agi-
 tantur. In singulis ante omnia de statu controversiæ genu-
 ino dispiciatur, ut removeantur ea, quorum planam verita-
 tem liberalis utrinquè manus largitur, ponantur illa, in qui-
 bus controversiæ cardo movetur. Deus bone, quàm necessa-
 rium est hoc ordinis nostri capitulum! Quot contrariorum
 partium fieri possent amica conspiratio, si se invicem aut in-
 telligerent, aut intelligere vellent. Quæ tamen, dum
 ad verum scopum non attendunt, Andabatarum more pu-
 gnantes ceco impetu tela in aerem evibrant. Sed hæc vel la-
 tius persequi, vel exemplis illustrare non est tum loci hujus,
 tum temporis. Primum igitur de vero controversiæ statu, ut
 dixi, videndum est; quo facto partium dissidentium argu-
 menta ordine ponantur, desunta ex scripturâ, ratione, Pa-
 tribus & Conciliis, adversariorum testimoniis, eò quidem
 modo, ut singulis subjiciantur & exceptiones, & harum so-
 lutiones. Orthodoxorum argumenta, an heterodoxorum
 preponantur, parum fortassis intersuerit. Videmus plerunquæ
 thesin veram confirmari, tum antithesin examinari ac de-
 strui. Cum verò diversæ ratione diversorum adversariorum
 Orthodoxa Ecclesiæ sint instituenda ex Scripturis pugne, con-
 sultis-

Articulos fidei tractandi.

Sultissimum erit singulis belligerantium ordinibus suos praestituere conflictuum campos. Nostro tempore Ecclesia potissimum à triplici hostium genere provocatur, Pontificiis, Calvinianis, & Photinianis. Triplici ergo controversiarum volumine triplex sacrum bellum, Theologia alumnus describet. Tum unico opusculo minorum gentium haereticis, & vetustis & recentioribus obviabit, atq; satisfaciet. At tota autem hac tractatione distinguet eam, quae in controversiis Theologorum Orthodoxorum inter se occupata est. Sunt namq; ut nostis, non pauca, quae, cum non essentiam fidei ingrediuntur, adeo, ut sine salutis dispendio vel ignorari simpliciter, vel modestè alterutram defendi in partem queant absq; imminutà Scriptura (non evidenter decernentis) autoritate; aut ambigua ac suspensa Theologorum judicia admittunt, aut sententiarum divortia experiuntur. Quo ipso patescit causa, cur peculiari huiusmodi problemata, seu areola seu capsula colligi cupiam, cum dissensio in iis non haeres efficiat, non fidei unitatem dissolvat, non spiritali amicitia insidietur. Alienior erit ab aequitate, qui ob hac dubia Theologos Orthodoxos inter se ut hostes commiserit, aut Ecclesiae Orthodoxiam suspitione sinistra exceperit. Hoc igitur officio perfuncti ad questionum Practicarum congeriem, quae varios conscientiae casus complectuntur, accingemur. Arduum profectò opus, & cedro dignum! Tenerares est conscientia, tactu difficilis. Quamq; facile corporis oculis periculum inferre licet, tam facile imò facilius huic animae oculo. Et tam nihilominus hic anima necessarius, quam illi corpori. Perit ille, cui pudor perit, aiebat Comicus. Nos potius: Perit ille, cui conscientia perit. Cui munien-
da quantò magis Practica, ut ita vocem, Theologia requiritur, tantò minus ea haecenus elaborata. Nam adversariorum,

2. Dubia
Theologi-

ca.

3. Quaestiones Prae-
cticas.

Oratio de Methodo

qui de casibus conscientiae scripserunt, superstitio partim, partim haeresis totum ipsorum studium nimium quantum pollutulavit. Ex nostrorum autem parte plerumque hic illic dispersim hac de re actum, vel si quid scorsim lucem publicam aspexit, minutum tamen illud ferè non tantum, sed & confusum. Verum fervet jam in hac ipsa Academia opus, & ut ad umbilicum feliciter perducatur, faxit Jehova, in quo Practica Theologia sitientes animi delicias quarere, quas inveniunt, inventis fruisce poterunt.

4. Loci
usus.

Practicis quaestionibus digestis, subjungi poterit usus practicus, quem in singulis locis Theologicis attendit & inculcavit non absque usu Theologus exercitatus p. m. Hafsenrefferus. Factum optimum! Neque enim vera & Deo grata Theologia nudè rerum divinarum cognitione est contenta, sed per eandem in Dei conditoris laudem, animique Christiani edificationem provebitur. Languet illud Theologiae corpus, cujus venae puriori virtutum Christianarum sanguine non sunt distenta. Eaque demum est veneranda illius facies, quam pallere liberam rubeus sincerae pietatis color purpurat. Rectè sentire debemus, ut possimus bene vivere. Has verò methodi nostri partes si quis Pragmatologia titulo comprehendat, nihil fortassis aberrabit, propterea, quod in istis Theologiae quasi viscera contineantur. Verum enim verò mirifice auget cognitionem veritatis, animum confirmat, judicium roborat ea diligentia, qua in Ecclesiasticam historicam impenditur, cujus oculis cernitur, & quibus temporibus qualis fuerit reipublica Christiana status, qua fidei incrementa, decrementa. Theologia igitur alumnus in singulis fidei articulis non ultimam muneri sui portionem arbitrabitur, accuratiori animo indagine explorare, quae per decurrentia etatum Ecclesiae momenta orta fuerint con-

III.
HISTORIA.

tro-

articulos fidei tractandi.

troverſia, quæ Concilia celebrata, quales loquendi de myſte-
riis fidei vel conſeſſa fuerint laudatæq; formulæ, vel impro-
bate. Quin, ut ordine in tam diffuſâ Theologia materiâ
hoc laboris penſum abſolvatur, ſeorſim etiam in quolibet lo-
co animi ſacris dediti ſollertia peculiari catalogo heretico-
rum manipulos producet, ut in conſpectu ſint hoſtes ad aram
veritatis divine tanquam ſacra victima maſtandi. Feli-
cius fugimus hoſtes, ac evitamus, quos novimus, quin &
facilius fugamus, ac refutamus. Si cupis, mi Theophile,
in aures unum ad huc monitum de hac inſtituti capite ſug-
geram. Ea eſt hereticorum plerorumq; conditio, ut & plu-
rimis conſenſus contra veritatis Spiritum colligentur vin-
culis, (nempe cum Chriſtus crucifigendus eſt, in amicitiam
Herodes ac Pilatus cœunt,) & nihilominus ſingulæ ſectæ in
diverſos ſententiarum tramites diffluant. Quam diſcor-
dem concordiam exemplo vulpecularum Simſonicarum il-
luſtrare non ineptâ comparatione conſuevimus. Eam ſeor-
ſim notatiunculis conſignare tantum abeſt, ut cum eſtiman-
dâ temporis pœnitentiâ fiat, ut potius in optabilem verita-
tis gratiam cedat. Ergo primum in articulo, quem præ
manibus habes, rimare, quibus vel conſuſionibus, vel hypo-
theſibus, vel argumentis, vel deniq; reſponſionibus, (datâ
operâ aut incautis & inopinatò falſitatum propugnatori-
bus accidat, aut parum aut nihil intereſt) conſpirationis
ac Concordiæ edes moliantur. Deinde ipſos unius ſectæ
Profefſores ambiguo prælio inter ſe committe, prius in ſua
mutuò viſcera, ut ſevire cogantur, quàm Eccleſiæ, ſibiq; in-
vicem jugulum petere potius, quàm veritati. Expolita eſt
ad victoriam via, cum in hoſtium exercitu inteſtinum ſuſci-
tatur belli incendium. Hanc Spartam ut facilius ornare
queas, manu ductionem ſequere, & eos, qui glaciem fregere,

1. Hiſtoria
Eccleſia-
ſtica.

2. Hæreti-
corum,
Catalo-
gus.

3. Hæreti-
corum,
harmonia

4. Hæreti-
corum,
diſcordia.



Oratio de Methodo

consule. Prostant jam harmonia hereticorum diversorum
diversa, prostant labyrinthi adversariorum & contradi-
ctionum sylva, prostant denique historia Ecclesiastica & com-
pendia, & operum ingentium moles. Utrunq; verò illud
Chemnitiana Suada opus, Locorum Theologicorum unum,
Examinati Concilii Tridentini alterum tale esse, quod fra-
grantissimum Ecclesiasticae historiae odorem spiret, quis est
inter aquos rerum iudices, qui ambigat? Vestigia ergo le-
gamus in huiusmodi, & quae antesignani viam praeverunt,
eadem grata sequamur posteritas. Hae studii Theologici
membra Historia sacra titulo docendi causa complecti pos-
sumus, quam absolutam ultimum methodi nostrae caput ex-
cipiet, quod Philosophicum est. Et quid Athenae Hierosoly-

IV. PHILOSOPHIA CHRISTIANA.
mis? Quid Stagiritae cum Mose & Christo? Sanè confu-
sum ex diversissimis disciplinis chaos in illustri Evangelii
luce postliminio reducere nefas est. Aliud est, Auditores,
quod volo, & si vestra pace eloqui liceat, Laconicè eloquar.
Nullum est Theologiae caput, in cuius resolutione organicus
terminorum Philosophicorum usus exulet. Sicuti nempe
Philosophica disciplina aliis Facultatibus gratò famulan-
tur servitio, ita Facultatum, suprema etiam Theologia. Imò
ausim dicere, tãtã copiam terminos in suo territorio usurpan-
dos reliquas junctim omnes vix ac ne vix quidem accersere,
quantã sibi una Theologia postea accersit. Ex quo fit, ut tam
ex parte nostratum, quam ex adversariorum subinde in-
disputationis cursu de terminorum huiusmodi indole ac in-
genio controversiae incidant, multumq; lucis ex Philosophiae
sphaera afferatur in Theologiae orbem. Quin saepe lapsus ac-
cidit ex velitatione Theologica in discursus rationis. Qui-
bus quidem ita confidunt saepe heretici, ut in eis vel maxime
certissimam victoriae fiduciam reponant. Quis adeo hospes
est in

articulos fidei tractandi.

est in Photinianorum recentiorum scriptis, qui nesciet, quanta cum exultatione ac tripudio sibi gratulentur de natura personae ex Metaphysicarum speculationum abyssobaurienda ad negandam in individua Deitate personarum Trinitatem? Quanto cum fervore urgent ex Ethicis discursibus ineptam justificationis rationem, quae in imputatione alienae unius hominis justitiae consistat? Quanto cum impetu de natura singulari, independente, simplici, e pharetra Philosophica in exercitum Ecclesiarum orthodoxarum tela evibrant! Idem ingenium diversos licet in fines aliorum quoque est, qui veritatis Orthodoxae Propugnatoribus dicam scribunt. Hortos sapientiae humanae ingrediuntur, non ut nectar et ambrosiam, sed venenum nobis propinandum exugant. Quorum machinationes quanquam non a quovis simpliciarum, aut eo, cujus officii ratio exactiorem omnium Theologicorum praeteriorum historiam armorumque notitiam non admittit, postulari queat, ut expiscetur juxta ac delegat, nihilominus tamen id muneris Theologi Doctoris cervici incumbit, qui in acie contra hostes pro Dei grege stare tenetur. Et enim si subterfugere congressum velis, ratus argumento rationis in arena Theologica non necessario responsum debere, extemplo indivisam illam Theologiae ac Philosophiae pugnam ad radim usque inculcari audies, ac si sana in sua provincia, in aere Theologici regni egrotet Philosophia, et jubebit Teatro carbone notare in sacro albo, quod in Philosophicis Codicibus rubrica eleganti diligenter consignasti. Discendum ergo, dicet, tibi in Cathedra prima multas fuerat lucubrationum ac vigiliarum vicibus, ut esset, quod in altera strenue culparet, stoliditatis admissae ederes confessionem. Est haec causa tanti, opinor, momenti, ut, quemvis, cui non mascula solummodo pugna, sed et felix palma

ma in



Oratio de Methodo

ma in votis est, efficaci stimulo excitare possit. Innotescant adversariorum arma, ut tum evitari queant, tum in autores converti. Nec negligentur nostra ex organicarum disciplinarum armamentario subsidia, ut eò feliciter asinine Theologiae & alybys proclamatorum superbia confundatur. Quid ergo? Ut simul & sua divina scientie maneat puritas, & suum quoque humanioribus disciplinis afferatur decus, Domina denique erga famule ministerium benevolentia defendatur, peculiari ac distincto methodi capite ea proponantur, quae ad scopum hunc collimant. Censura subjiciantur in singulis fidei articulis quaestiones contra Papicolos directae, tum contra Calvinisequas, ultimò adversus Nearrianos, omnes ejusmodi ille, in quarum tractatione Philosophia vel suggerit tela à nobis in adversarios evib. 'a, vel modum eorundem spicula declinandi ministrat, quas mixtas usus communis indigitat, uti & Theologico Philosophicas controversias. Quibus peculiari loco congestis quedam quasi vallum contra versipellium Sophistarum insultus fabricatur. Nec indignus hic labor Studioso Theologo censeretur, cum ejus inexperti multoties indignè se tractandam hostibus pradam præter opinionem offerant, qui suam fortunam veritatem illius Scheckiani demonstrant. Ego tum demum beatas fore Ecclesias judico, si aut Theologi accuratius incipiant Philosophari, aut veri Philosophi operam dent Theologiae. Sed & in hoc exercitationum laudatissimarum genere præcursores in Ecclesia gremio habemus Praeceptores nostros, quorum ad exempla respicere, ingenique amuli effigiem meditari non curiositatis est, sed solertiae.

Atque hæc est delineatio methodi in singulorum locorum Theologiae adhibenda, quam Vestro, Patres conscripti Academi-

articulos fidei tractandi.

demici, iudicio, quod religioso animi cultu veneror ac sus-
spicio, debitâ observantiâ submitto, Vestro verò, Commili-
tones, sinui officiosâ humanitate in Mnemosynes gratia in-
dicinam offero, omnibus atq; singulis ejus, quem erga unum-
quemq; in me pietatis cultura propagat, affectus symbolum
abituriens relinquo. Etenim, ut id quod agendum restat,
persequar, deserenda nunc est cathedra hac, Divi Lutheri,
ex qua toties, & divina & humana Sapiencia licuit me-
temata auferre, relinquenda hac in posterum subsellia, qua
in studiorum meorum usuram multos jam annos concessa
gembundus aspicio, sacra illa Numinum templa tot cele-
berrimorum Doctorum eloquentiâ incredibili nobilitata,
non amplius in scientia ac virtutis augmentum usurpanda.
Discedendum est hoc orbis Christiani oculo, hac fidei ac re-
ligionis, hac justitiâ & aequitatis, hac experientia, hac sa-
pientia officinâ Wittebergâ. Quid dicam? Extremum va-
le dicendum est, Praceptorum meorum, ô Patres Acade-
mici! ordini eminentissimo, amicorum caterva, ô commili-
tones, elegantissima: Utq; refugiat tremula hesitabunde
anima lingua, extremum nihilominus vale dicendum est,
quando de voluntate clementissimâ Principis Illustrissimi
ac Celsissimi, JOHANNIS CASIMIRI, Ducis Saxo-
niae, Gliviae, Montium, &c. Domini ac Evergetae mei mu-
nificentissimi, eorum me in patriam concilium revocat, quo-
rum auctoritati ac monitis major est in me gratitudinis pie
devotio, quam ut refragari permittat. Sentit, sentit ani-
mus reciprocos perturbationis fluctus, in quo tam ambiguo
certamine in patriam pietas, erga Vos, Auditores omnium
ordinum dignissimi, devotio belligerantur. Non dum me-
moria excidit beneficiorum, neq; excidet unquam, quibus me
multos jam annos hoc pietatis ac artium Emporium cumu-
lavit.

C

lavit.



Oratio de Methodo

lavit. Te quando intueor, Rector magnifice, Parentem vitæ intueor, qui cum non ita pridem vehementissima morbi grassantis hic tum sevitia morti me destinasse videretur, Jehova nostro indefessa quam dexterrimè adhibebas, diligentia curationis benedictionis auram afflante, me ex mortuis quasi redivivum fecisti. Cujus beneficii major est dignitas, quam ut eam orationis capiant angustia. Debitor Tibi vitæ sum, ut tamen ad exolvendum debitum aspirare nunquam possim. Itaq; per gratiam Tuam sufficiat, si, cujus opera è mortis manu in vitæ libertatem me emancipavit, ejus servitiis residuas vitæ ac studii particulas mancipem. Vos verò Viri reverendi & excellentissimi, Præceptores meritissimi alloqui vix sinit pietas, tutius rata, religioso silentio venerari, quæ voce meâ ac stylo sunt angustiora. Et tamen in verba erumpit vis animi devoti, neq; pectoris incunabulis vult sopiri. Cum anno supra millesimum sexcentessimum decimo octavo peregrinus adventarem in hanc, cujus invisenda amore ardebam, fame sacra sedem, nō ut peregrinum sed ut amicum me candoris illud Germanici speculum, Nicolaus Hunnius, SS. Theol. D. tum hic P. nunc Ecclesiastes Lubecensis primarius recepit adibus extemplo ac convictu dignatus. Cujus exoptatissimâ conversationis aliquanto tempore usus deliciis, cum fata nutantem studiorum meorum statum minarentur, Venerandus Theologorum Senatus commendatione honorifica, consilioq; paterno fulcimentum accuratè quesivit. Illi autem cum noverca obstaret fortuna, verius ut dicam, illud divina providentia retardaret, Reverenda Tua Excellentia, Venerande Senior Balduine, domesticum me voluit, filiiq; studiis adjunxit, donec serenior mihi aura affulgeret, ante biennium integrum. Tum temporis, Deus ille, qui nescit spem piorum
falle-

Articulos fidei tractandi.

fallere, variamq; mediorum segetem habet in hoc univer-
sitatis agro, quibus Musis indigentibus succurratur, Deus
inquam, paternâ dispositione providit, ut Collegio SS. Tri-
nitatis, à Viro quondam Amplissimo p. m. Andréâ Behamo
liberalissimè instituto, & hætenus tutelâ curâq; Dnn. Ad-
ministratum Virorum Magnificorum, Nobilissimorum,
Amplissimorum, Dominorum ac Mecenatum meorum de-
votè colendorum in hac almâ studiorum matre laudatissimè
suscitato, Eorum consensu ac autoritate, commisso Inspe-
ctoris inferioris munere sub Reverendi & Excellentissimi,
Dn. D. Meisneri inspectione superiori præsicerer. In quo
officio hætenus ita vixi, ut quantum & Magnificis Dnn.
Mecenantibus & Reverendo & Excellentissimo Dn. D.
Meisnero deberem, in tam lugubri rei literaria statu ac-
curatâ semper animi meditatione revolverem. Et illo-
rum quidem, uti & Behami p. m. in laudes effusis quasi ora-
tionis habenis excurrere animus esset, nec locus instituto
inconveniens; sed malo has sacro hîc silentio mecum colere,
quàm parum dicendo dignitati earum ac splendori ire de-
tractum, quod alibi jam amplissimum earum campum pu-
blicitus licet angustiiori simul & breviori semitâ ingressus
fuerim. A Te, Reverende & Excellentissime Dn D. Meisne-
re, Præceptor colende, eam per hoc temporis curriculum
benevolentiam, humanitatemq; expertum me profiteor,
quam nisi memoria nunquam intermoritura devotèq; gra-
titudinis fidei consecrarem, omnis ego ingenui animi sen-
su sum despoliatus. Absit autem ut hic cumulus meritorum
in vitam meam, dum vitâ fruor, vivaci memoriâ dese-
ratur. Nunc si ea beneficia vel solâ commemoratione
tangam, que ad ingenii culturam faciunt, demissus
pudoris vultus mentem nimii debiti consciam accusat.



Oratio de Methodo

Ut taceam difficiliori operâ pertexendam variarum informationum in publicis disputationibus telam, Tuo meo presidio, publico in actu disputantem, Balduine, nuper dignatus es. Te verò binâ vice praside, Meisnere, publica velitationis periculum feci, in quatuor insuper Collegiis semipublicis illius Suadae Tuae iudicii Theologici acerrimi expedite ministrâ fruitionem largitus es. Tu autem, Jacobe Martini, & in privato Collegio Theologico liberali informationis gratiâ me donasti, & publico presidio, simul privatis responsis acumen Tuum Philosophicum ostendisti. Nam quod Dn. D. Frantzius attinet, cujus admirandam illam scripturâ peritiam in Collegio semipublico admiratus sum, & Dn. D. Nicol. Hunnium, qui & binis privatis Collegiis & institutionibus ac colloquiis & Collegio semipublico Anti-Photiniano fidem suam studiis meis incredibili facilitate exhibuit, quoniam absentes, iis alia vice animi affectum, occasio dabitur foras dandi. Hac igitur tot tantâq; beneficiâ partim in vitam partim in studia (quibus & illud accessit, quod mihi petenti à Venerandâ Facultate Theologica privata in Theologiâ exercitia ac Collegium disputatorum aperiendi benevolè licentia data fuit) hæc inquam beneficia ubi mecum perpendo, incertum, magisne læctu argar, qui pro tantis meritis nihil reponere dignum possim, an lætitiâ demulcear, qui tanta à tam dignis Viris acceperim. Sed vincit lætitiâ, dum læctum minuit solatium, quod non confidam solum, sed certò sciam, Vos arbitrari, satis vobis reddi, à debitore, si acceperit tantum, ut nihil reddere possit. Quod si quid ad meritorum vestrorum in me cumulum, Præceptores observandissimi, accedere debet, ac sinite, queso, me Vestrum in Theologicis esse filium, quo studiorum Theologicorum parentes officiis sensi. Ita me Vobis con-
secro

articulos fidei tractandi.

secro totum, quibus me debeo totum. Quod si quid summus rerum diribitor in commune bonum ex meis studiis prodire aliquando jusserit, id omne ex Vestra opulentia thesauro in paupertatis meae angustiam dono deductum esse discipulus fidelis Praeceptorum meorum praeco fatebor.

Quid porro debeam tum Amplissimo & Consultissimo Consultorum ordini, tum Experientissimorum & Excellentissimorum Medicorum Facultati, tantum abest, ut laxo memoria sinu diffluere patiar, ut potius sonorâ voce contestor, Ea benevolentia ac favoris merita ab illis subinde mihi constitisse, quibus recompensandis longè sim inferior. Vestra autem dignitatis culturam tum relinquam, cum meo vita. Interea utriq; Ordini pro acceptis officiis ac beneficiis gratias ago eas, quas uterq; jure suo requirit, hoc est, immortales.

Ad vos mea se convertit oratio, Philosophiae Decane spectatissime, & Professores excellentissimi, à quibus si sine gratiarum actione abirem, fronti inurenda foret turpitudinis nota, ut publicè ingratitude patesceret. Vos estis, qui cum modestè pro obtinendâ privatim legendi ac disputandi licentiâ venerandam Facultatem sollicitarem, liberaliter annuistis. Vos estis, qui Adjunctorum mihi locum in Collegio Amplissimo concedere non dubitastis. Vos estis, qui cum ordine ferente Examinis Candidatorum officium ad me devolveretur, summâ humanitate me fuistis prosecuti. Pro quibus omnibus eas, quas Vester in me affectus ac beneficia requirunt, & animus debitor concipere valet, gratias habeo. Atq; utinam par essem recompensationis officio, quod mihi Venerandae Facultatis merita imposuerunt. Si tamen fecero, quod vires admittunt, bonâ spe nitor, fore, ut animi premitudine suppleri, qua facultati desunt, patiamini.

Oratio de Methodo

mini. Omnes autem simul compello Patres conscripti Academia, Praeceptores ac Fautores colendissimi, & toti senatui Academico eâ qua debeo fide promitto: Si occasionem fata largientur, cuiquam Dnm. Praeceptorum gratificandi, vel de filiis illorum bene merendi, ubi ubi sim, me promptissimum offeram. Hoc votum esto. Faciat ratum J E H O V A. Temporis & ordinis monitu Vobis quoq; valedico, Commilitones suavissimi. Toti huic Corona, imò universo studiosorum in hac Academia catui sint gratia, quas meruit jucunditas conversationis, ususq; exercitiorum publicè & privatim habitorum. Protestor ego in hoc augusto dicendi loco, me tantò difficiliore animo Wittebergâ discedere, quantò faventiosem in me Studiosorum expertus sum affectum, variis, iisq; luculentis documentis eruditus. Quae mea vel doctrina vel vita fuerit ratio, nostis ipsi. Id tamen attestante meâ conscientia affirmo, me in hac pro virili elaborasse, primò quidem, ut in iis quae tractavi studiis liberè absq; aliorum vel contemptu vel praedicio veritati litarem, usum, deinde Philosophiae in Theologia potissimum urgerem, postremò, ut datâ operâ neminem laderem. Hunc scopum ubi attingi, gaudeo, si fructus aliquis exinde ad Vos, O mei, redundavit, quo de bonâ spe alor, est de quo indicem nobis gratulemur. Quod si fortè quempiam in vitâ communi ullo modo offendi, date aliquid humanè imbecillitati, & lapsibus ignoscite. Ego, uti de Vestrum benevolo in me affectu, non dubito: Ita mei candoris & amoris constantiam linguâ cordis non fallaci interprete promitto. Nunc quod superest, calido voto Te, O Witteberga, Deo commendo: Clementissime D E U S, gloria tibi sit & gratiarum actio, quod illustri huic literarum emporio hactenus concessisti, Verbi divini puritatem, sapientiae humanae varietatem, docer-


tium

articulos fidei tractandi.

tium ac discipulorum copiam, ut in eo ipse etiam salutaria,
& docere alios, & ab aliis discere tranquillam in pace potuerim.
Te voto hoc, quod Tu qui corda scrutaris, ex corde esse
nostis, oro, Te autore porro incolumis sit Orbis hic Christiani
ocellus: Floreant in eo & celestis veritas, & omnes huma-
na sapientia partes. Coronentur omni bonorum genere,
omnes docentium ordines: Augescat numero simul & per-
fectione totus discipulorum cætus. Adfer omne bonum & au-
fer omne malum Deus Pater, Fili & Spiritus sancte,
qui es Deus in secula benedictus, Amen. Nunc
ab eo Jovæ ducente. Valet, favete!

D I X I.





Elencus contentorum.

Acta colloquiorum Sivalbacensium.

D. Hæ Calvinistarum vera, viva & genuina descriptio, eiq; solida & invicta assertio
adversus calumniosissimum libellum D. Lud. Cocii Episc. Brunesis.

epid. Disser. Theologica Antipontificiana, seu beati angeli, & celites, deum in sua
centra, qualis e pfecte cognoscant.

M. Abrahami Heineccii Oratioes duæ, 1. De varietate religionum jam inde i
mundo condito ad hæc usq; nra tempora, tum quoq; de veritate extende agi.
2. de Sapientia omnia operante.

Joan. Christiani Dölau Oratio de necessariis belli repositis.

M. Math. Hæc est die nulligst von dem Calvinisten überkommenen Declination
ad Luthers Abt, & sein feindliche, sprache, dicitur & recolligend, wo die
religions funder vordringt übergegangen ist. Hæc ist die
Lutherung, in dem Buche v. Dreyen ist die Dreyen, & die fessig
in die vier augen der Calvinisten Buch sich dreyen ist.

epid. Die geystliche Worte von dem Calvinisten in 99 puncten mit der
Beweisung und durch über die fessig.

Castanei distinctiones.

ULB Halle 3
005 129 230



V3 17





METHODO
LOS ARTI-
FIDEI PER-
ACTANDI,
IS THEOLOGICIS,
Quem
DICTIONE publicè recitabat in
FRIDERICIANO alma Aca-
DÉMIE WITTEBERGENSIS,
CATHEDRAM revocatus
Abituriret
EAS KESLERUS
Magister, Facultatis Philoso-
phicæ Adjunctus,
Membr. Anno Epochæ
Christianæ
DII porro Witeberga VaLete.
* * *
WITTEBERGÆ,
Sumptibus CHRISTIANI THAM,
Academ. Typogr.

CS

